

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0259

0257

0263

0253

0268

0248

0308

0208

0358

0158

0758

Ende

Anfang

247

Jerusalem tempore paganorum, qui tamen eos pluribus aliis  
angariis gravabant et loca sancta visitare non sinebant, nisi  
pax pecunia ab eis emeretur, sicut et hodie est. Et stetit sic  
res Christianorum ultra centum annos, a Caroli tempore usque  
ad tempora Heinrici I., quo tempore anno Domini 1015 surrexit  
quidam homo nequam, instrumentum diaboli, flagellum populi  
christiani, dissipator sancti sepulchri, Calipha dictus, rex  
Aegypti, qui pacem et concordiam factam per Carolum Mag-  
num inter Christianos et Sarracenos percitus de terra tulit.  
Hic habuit matrem christianam, et dum rex factus fuisse  
Sarracenorum, saevire coepit in Christianos, ne videretur  
matrisare, et ipsos Christianos coepit compellere ad abnega-  
tionem fidei et gravissima tributa eis imposuit ac pluribus  
aliis modis molestavit. Concitabatur autem ejus in Christianos  
crudelitas, quando objiciebat sibi, quod esset de sanguine  
christiano, de quo plurimum verecundabatur, et ideo mira  
crudelitate in eos saeviit, ut facto ostenderet, se non habere  
guttam sanguinis nec motum affectionis a Christianis (B.)  
Inter caetera autem perniciosa opera hoc egit: cum exercitu  
grandi civitatem sanctam ingressus est et coronam Christia-  
norum in terram dejicit, nam ecclesiam dominici sepulchri a  
Constantino primo et Magno sumtuose aedificatam funditus dejici  
et destrui mandavit et ecclesiam montis Syon et Bethlehe-  
mitanam violavit et mahometicae spurcitiae dedicavit. Et hoc  
facto incepit conditio fidelium in Jerusalem deteriorari ex moe-  
stissimo dolore, quem ex casu ecclesiae acceperant. Prohibuit etiam,  
ne ulterius Christiani sacras suas festivitates peragerent et  
ne congregarentur ad divina celebranda. Sicque erant in  
tribulatione gravissima propter cottidianas vexationes et in  
moerore tristissimo propter dominici sepulchri et ecclesiae  
dissipationem.

Ex his patet, quod ecclesia dominici sepulchri, quam  
Helena construxit, stetit septingentis annis, post quos penitus  
eversa fuit. Dum iam anno Domini MXLIX, affuit divina  
clementia consolationem non modicam rebus deperditis offe-  
rens. Praedicto enim tyranno rebus humanis erepto dereliquit  
haeredem meliorem se, et cessavit quassatio, siquidem Daher,  
filius ejus primus, regno accepto iniit foedus pactum cum

